

Cur dicis: „Credo in Deum“?

Hac forma verborum primum discernitur fides a notitia intuitiva, quae res subiectas oculis contemplatur. Est enim fides certitudo non apparentium.

Deinde refutatur dubitatio academica, quae nullam certam assensionem de Deo retinet, nam vox credendi *πληροφορίαν* significat. 5

Tertio, quia praepositio *εἰς θεὸν* additur, significatur discrimen inter fidem historicam [50:] et fidem christianam. Fides historica est tantum nosse historiam, fides autem christiana est notitia et assensio in mente et fiducia in voluntate et corde.

Quarto hac voce „credo“, quam vnusquisque recitat, discernitur fides specialis seu propria a fide generali. Fit enim applicatio ad singulos. 10

Quinto rejiciuntur hac verborum forma omnia idola, quae sunt nihil, 1. Corin. 8,<sup>76</sup> et fit testificatio nos omnem fiduciam collocare in Deum nobis patefactum in ipsius verbo nobis ad credendum proposito. Nam fides habet se correlatiue ad verbum seu ad promissionem.

Est ne vnus Deus, an vero sunt plures dij?

Vnus est tantum Deus iuxta dictum Deut. 6: „Audi Israel Iehoua Deus noster 15 Iehoua vnus est“,<sup>77</sup> 1. Corinth. 8: „Scimus, quod non sit <sup>b</sup>Deus nisi<sup>b</sup> vnus.“<sup>78</sup>

---

<sup>b-b</sup> nisi Deus: D.

---

<sup>76</sup> Vgl. I Kor 8,4.

<sup>77</sup> Dtn 6,4.

<sup>78</sup> I Kor 8,4.